


T E R R I T O R I U M  
T A R V I S I N U M,

vulgo

I L T R I V I G I A N O.



Liud est territorium Tarvisinum, aliud Marka Tarvisina; hæc autem habebat olim longitudinem, inquit Leander, inter Mincium Alsamque fluvios; trans Alsam enim Foro-Juliensem agrum ad-

necti: præterea Markam Tarvisinam, quæ nunc vocatur, nonnulla continere loca Cenomanorum, &c. illud vero à septentrione Bellunensi & Feltrino, ab occidente Vicentino, à meridie Patavino & Ducatu Veneto, ab oriente eodem Ducatu & Foro-Julienfi clauditur territoriis.

*Limites.*

*Tarvisum.*

Metropolis est *Tarvisum*, vulgo *Treviso*. Urbs ædificiis splendida, opibusque potens, editiore jacet loco, in campo spatiosissimo, amne Sili divisa; fontium amœnitate salubritateque stupenda: antiqui sæculi Scriptoribus non nominata; ideoque non magni ævi. Primam ejus memoriam habent Gothorum historiæ. Cives humanitate sunt singulari, ingeniis igneis, quæque percipiendis litteris, mercaturæ, aliisque honestis studiis promptissima. Episcopatus floret dignitate. Nobilitavit hanc urbem ortu suo Totilas Gothorum rex, cujus pater ejus situ supra modum capiebatur. Genuit item, præter alios, Benedictum XI P. M. & Ponticum Virumnum, virum Latinis Græcisque litteris doctissimum, uti scripta probant. Post Gothos sedem hic suam posuerunt Langbardorum Marchiones, unde toti regioni *Marka Trevesina* nomen inditum. Pressa deinceps Actiolini tyrannide, Imperatorum Italiæque regum, inde Carrariensium, hinc Scaligerorum; postremo Venetorum subdita est imperio & potestati. Magna hic agrorum est ubertas, ingens rei pecuariæ studium, copia tritici optimi (unde panis confit candidissimus) vini nobilissimi, aliarumque rerum admiranda. Facius Vbertus lib.

III, Cantico II:

*Noi troviamo Treviso nel camino;  
Che da chiare Fontane tutta ride;  
Et dal piacer d' Amor, che quivi è fino.  
Il suo contado la Piava recide;  
E' l' Silio; è ciascun d' essi alcuna volta  
A chi li passa pergran piova uccide.  
Questa per se il Venetiano l' ha volta:  
Italia.*

Vt alia oppida transeam, jacet fere ad fontes Mesulæ fluvii, qui se in Livenzam exonerat, *Seravallum*, celebris armorum bellicorum officina, pannorumque ac frumenti negotiatione inclytum emporium, situ tam amœno ac nobili præstat, ut incolæ, loci amœnitate capti, usque adeo diversis temporibus accreverint, ut ter necesse fuerit mœnia dilatare, quæ nunc bis mille & quingentorum passuum spatium complectuntur. Qua parte ad septentrionem spectat, perpetuos habet montes, per quos Germani *Seravallum*, emporium illis gratissimum, frequentant. Vina enim hic inveniunt & emunt optima, suasque merces permutant; equos, boves, fila, metalla, &c. A duabus vero partibus, qua in meridiem Venetias versus, quaque in orientem tendit, latissimam habet planiciem, elegantissimis collibus distinctam; unde non solum vina, sed & frumenta uberissime colliguntur, non tantum ad incolarum usum, sed ad sublevandas etiam necessitates Alpensium, hominum, qui in Cadubrii jugis & in Tyrolensis comitatus parte, duram vitam, aut metallis fodiendis, aut lignis secandis, tolerant. Ad occidentem colles etiam habet vinetis & olivetis ornatos. Omnibus autem ex partibus, pascua pingua, tam in campis, quam in montium vertice, frequentesque lacus ac sylvas, ut nec venationes, nec piscationes, nec aucupia jucundissima, desunt. Illud vero in hujus oppidi situ memorabile, quod, qua parte planicies est, nullo sit expositum vento, qua autem montibus acclive, perpetuos quasi ventos sentiat, ita, ut natum sit hinc vetustum apud Italos proverbium; *Perdachi vol, che Saravall, ha vento*. Hic autem permeans ventus, sanitati conservandæ conducit, aërem quippe perpurgat, ut ab hominum memoria auditum non fuerit, Saravallo, vel pestem, vel contagiosi morbi luem, noxiam fuisse. Hoc igitur oppidum in ea regione Tarvisinæ Marchiæ situm, quæ in foro Iulienfi patria olim censebatur, in diœcesi Cenetenfi, eos montes claudit, quos antiquitas Opiterginos vocitabat, nunc Christiana religio, pia nomina dedit S. Augustæ & S. Antonii, quibus sanctis, illis in montibus templa posita sunt. Et quidem Augustæ virgini ac martyri, valde celebre, cujus ossa ibi posita, venerantur proximi & externi, peregrinationesque suscipiunt, & votivas tabulas ponunt. Calendis Augusti, frequentissimus populi

*Seravallum.*

*Ager.*

P p